



**Antoninus Diana Panormitanus, Clericus Regularis, Doctor  
Celeberrimus, Coram S. D. N. Alexandro VII. Episcoporum  
Examinator, & Sancti Officij Regni Siciliae Consultor,  
Coordinatus, Seu Omnes ...**

**Diana, Antonino**

**Lugduni, M. DC. LXXX.**

5. De qua ætate debent esse Cardinales? Et an quispiam in Diaconum  
Cardinalem assumi non possit, nisi saltem uñ 22. suæ ætatis fuerit  
constitutus? Et cursim explanantur, de qua etiam ætate debent ...

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76442](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-76442)

tamen necessariū erit, convenientissimū esse Pontificem in arduis negotiis Cardinalium consilium adhibere, atque ita ad hoc de honestate adstringi, ita enim loquitur text. in *fundamenta*, §. *delect. de elect.* lib. 6. Dum inquit, *Delect Romanum Pontificem per Fratres suos S. R. E. Cardinales libera habere consilia*; constat etiam Petrum duas claves accepisse, ut per alteram potestas, per alteram verò decencia indicaretur, ut habetur in *sum. 20. dist.* Et ideo Malderus in *p. 2. q. 95. art. 1. fol. 379.* sic ait. Papa in rigore non dependet à Cardinalibus in legibus ferendis, habet tamen hoc ex Dei assententia, ut temetè non proponat leges uniuersales, fidem, aut mores concernentes, Ecclesie uniuersali, sed quia media ordinaria maxime adhibenda sunt, ut sine iudicio, & consilio nihil fiat, secundum monitionem Sapientis *Eccl. 32. & 33.* congruit ut Cardinales in consilio adhibeat tanquam consultores, non tanquam legum collatores. Ita ille. Vide etiam doctissimum Valenzuelam de *Monitorio Pani. V. part. 6. num. 97. & seq.* Vide etiam Manfredum de *Card. dist. 237.* & Palcottum de *sacro Donsst. part. 1. quæst. 3.*

RESOL. IV.

De qua natione assumendi sint Cardinales? Ex part. 3. tract. 2. Ref. 18.

§. 1. **E**ligendi sunt ex omni natione, ut tradit Sixtus V. in *constit. Postquam, an. 1586.* Mosconius de *maiest. milit. Eccl. lib. 1. part. 1. c. 5.* Mandosius *conf. 55. n. 22.* Laudensis in *decis. Pisani decif. 35. num. 188.* Barbosa de *iure Pontif. lib. 1. cap. 3. n. 13.* Rousselin in *hist. Pontif. lib. 2. cap. 10. n. 20.* & ideo Cuchus in *insist. can. lib. 2. tit. 4. n. 112.* sic ait, Cardinales ex omni lingua & notione eligi æquum & vsitatum est & vnaquæque natio suam habeat in Curia Patrem tutelarem, qui cum possit desideria sua & negotia conferre, & ab eo præsidium præsentis sumere, veluti linguæ, & morum, & negotiorum perito. Ita ille.

2. Non desinam tamen hic apponere dictum Hispani in favorem Italorum, & is est Ioannes Garzias de *Nobilitate Hispan. gloss. 48. §. 3. n. 54.* vbi ex D. Anton. docet quod Cardinales convenientius assumuntur de terris Ecclesie, quia sunt liberiores in ferendis suffragiis & sententiis. Ita ille, & ante illum Iacobatus, quem affert Cherubinus in *compen. Bullæ tom. 2. Bull. §. 1. Sixti V. in schol. 1.*

RESOL. V.

De qua ætate debeant esse Cardinales?

Et an quispiam in Diaconum Cardinalem, assumi non possit, nisi saltem in 22. suæ ætatis anno fuerit constitutus?

Et cursum explanatur, de qua etiam ætate debeant esse Episcopi? Ex part. 3. tract. 2. Ref. 19.

§. 1. **E**x e. cum in cunctis, de elect. nullus potest esse Episcopus ante trigessimū ætatis suæ annum qui debet esse completus, licet glossa *ver. comp. in c. vn. de atate & qual. in 6.* asserat ad Episcopatum promoveri posse qui trigessimū ingressus est annum; sed hoc hodie non est admittendum, ex Bulla Greg. XIV. in *sua const. publ. die 15. Maij 1591. ibi.* Annum trigessimū expleuisse. Ita Armend. in *addit. ad recapit. leg. Nauarr. lib. 1. tit. 2. leg. 1. n. 18.* Gutierrez in *Canon. q. lib. 1. q. 26. n. 39.* Lessius *lib. 2. c. 34. dub. 20. n. 163.* Vivianus in *praxi in patron. part. 2. lib. 6. c. 7. n. 4.* & alij.

Tom. I X.

2. Hanc igitur ætatem requiri etiam in eis qui ad Cardinalatum assumendi sunt, tenet Manfredus de *sacro Cardinal. decif. 244.* Henriquez *lib. 14. cap. 9. prope finem, & lib. 10. cap. 19. num. 3.* Azorius *tom. 2. lib. 6. cap. 6. quæst. 14.* & Campanili in *douer. iur. canon. rubr. 7. cap. 6. num. 47.* & Cardinalis Paleotus de *sacro Consi. part. 4. q. 1.* qui optime notat hoc procedere in Cardinalibus Presbyteris, nam de Diaconis ita Sixtus V. sancivit *const. 50. §. 6.* Neque possit quispiam in Diaconum Cardinalem assumi possit, nisi saltem in 22. suæ ætatis anno fuerit constitutus, ita ut omnino intra annum ad sacrum Diaconatus Ordinem valeat & debeat promoveri, alioquin si anno elapso ad ipsum Diaconatus Ordinem promotus non fuerit, eo ipso tam in Consistorialibus, & omnibus aliis actibus, & negotiis Cardinalitatis, quam etiam iuxta *const. fel. rec. Pij Papæ IV. Præd. nostri super reformatione Conclavis, editam in elect.* Summi Pontificis, voce activa & passiva omnino careat, ac privatus existat.

3. Nota tamen quod superius dicta procedunt de iure ordinatio, nam potest Summus Pontifex minores ætate creare Cardinales, ut sæpe fieri videmus; & latè comprobatur Paleotus de *sacro Consi. p. 3. q. 4.* & ex Platina observat Mosconius de *maiest. milit. Eccl. lib. 1. part. 1. cap. 6.* Greg. XI. minorem 10. annis fuisse ad Cardinalatum assumptum, & Henriquez *lib. 10. cap. 17. num. 4.* observat quod solet Papa noviter electus suum Cardinalatum conferre cognato, quamvis adolecenti, & quibusdam ob insignem nobilitatem & indolem, de quibus spes est, quod multum sua auctoritate proficiant Ecclesie.

RESOL. VI.

De numero Cardinalium, & an expediat semper esse completum? Ex part. 3. tract. 2. Ref. 22.

§. 1. **T**empore Pontiani Pontificis extitisse 236. Cardinales; testantur scriptores, & inter illos Laudensis de *Cardinal. q. 2.* Campanili in *douer. iur. canon. rubr. 7. cap. 6. n. 48.* Sed hodie per constit. Sixti V. numerus Cardinalium ad 70. redactus est. Quam tamen constitutionem, ut rectè observat Paleotus de *sacro Consi. p. 4. q. 1.* verbis negantibus vbi de numero agit, sapienter admodum idem Pontifex concepit, ut scilicet ostenderet non solum numerum septuagenarium non esse transiliendum; sed nec etiam semper æquandum, vbi pauciores possunt ad munera omnia sufficere, cum, ut aiunt Iurisperiti, non quidquid iudicis committitur potestati, illud etiam subiicitur necessitati. Ita ille. Rationem verò quare Sixtus V. voluit Cardinales esse tantum 70. & non amplius, videbis apud Ildephonsum de Lara in *compen. vita hominis, cap. 29. num. 20.*

RESOL. VII.

An Cardinales, mortuo Pontifice, possint leges condere & alia iurisdictionalia facere?

Et Sede vacante Apostolica, an tunc non sit prohibitum Sacro Collegio Cardinalium dare Reverendas? Ex part. 3. tract. 2. Ref. 9.

§. 1. **A**firmativam sententiam tenet Henriquez *lib. 14. c. 18. n. 2. in fine.* Manfredus de *Card. decif. 6.* Archidiaconus in *cap. cum constitueret 50. dist. in fine.* Albanus de *Cardin. quæst. 42. in fine.* Bartolus in *l. vbi absunt. num. 3. de tut. & curat. & alij.* Ea ratione

li 3 motis